tio multo majori, maximam partem nemoribus inſeſſa, nec tamen ſine paſcuis, arvis, & variis ferri venis.

Woodland.

Hæc ut hodie *Woodland*, id eſt, *Regio Sylveſtris*, ita etiam *Arden* antiquiori nomine olim dicebatur, verum eadem plane, ut ego exiſtimo, ſignificatione,

Arden.

Arden enim priſcis Britannis & Gallis ſylvam ſignificaſſe videtur, cum in Gallia ſylvam maximam ARDEN, oppidum in Flandria juxta alteram ſylvam *Ardenburg*, & celebratam illam Angliæ ſylvam truncato vocabulo *Den* nominari videamus, ut DIANAM illam taceam,

Diana Ardwena.

quæ in antiquis Galliæ Inſcriptionibus ARDWENA & ARDOINA, id eſt, ſi quid ego video, *Sylveſtris*, & eadem fuit, quæ Italiæ Inſcriptionibus NEMORENSIS nominata. Ex hac Turkillus de *Arden* qui hic floruit, magno honore ſub Henrico Primo nomen aſſumpſit, & propago ejus admodum clara longe per Angliam ſuccedentibus annis eſt diffuſa. Occiduum hujus latus *Arrow* fluvius, ut ſe ſocium *Avonæ* conjungat, per *Studly* caſtrum quondam I. filii *Corbutionis* properat.

Studly.

An vero à velocitate ſic dictus fuerit, ut *Tigris* Meſopotamiæ (*Arrow* enim nobis ſagittam, ut *Tigris* Perſis denotat) vel contra à lento curſu, quod *Ara* priſcis Gallis & Britannis ſignificavit, viderint alii. Huic adſidet *Coughton*, *Throckmortonorum* Equeſtris familiæ præcipua ſedes, quæ numeroſa, admodum clara, & ſplendidis ingeniis fœcunda in hoc tractu præcipue floruit, ex quo nuptias cum hærede de *Speney* contraxit.

Coughton Throckmortom.

Haud multum hinc abeſt *Ouſley*, quæ ſuis etiam Dominis quondam inſignis, *Butleris* ſcilicet, Baronibus de *Wem*, à quibus hæreditario ad *Ferrarios de Ouſley* dictos, eſt devoluta.

Ouſley.

Quorum hæreditas brevi inter I. Dominum de *Greiſtocke* & Radulphum *Nevill* diſpertita fuit. Inferius ad *Arrow* poſita eſt *Beauchamps-court* à Barone de *Bello-campo de Powik* denominata, à quo per filiam unicam Edwardi *Willoughbey*, filii Roberti *Willoughbey* Baronis *Broke* ad Fulconem *Grevill* virum & equeſtri dignitate, & naturæ facilitate clariſſimum devenit,

Beauchams court.

Grevilli.

cujus unicus filius eodem itidem nomine, ita veræ virtuti, & germanæ nobilitati ſe conſecravit, ut animi nobilitate genus longe exuperet, cujuſque in me maximis meritis etſi dignas gratias nec animus meus aperire nec illuſtrare poſſit; loquens tacenſque tamen gratias & agam, & habebo.

Sub hac in *Arrow* influit *Alne*, ſive *Alenus*, qui inter ſylvas curſum agens, *Henley* mercatorium oppidulum ſubluit, cui caſtrum adjunctum habuit familia de *Monte-forti*, qui magni nominis Nobiles, quod ab amœno in mediis ſylvis ſitu *Bell-deſert* Gallico nomine dixerunt, ſed hoc nunc ſuis ruderibus inhumatum diſparuit.

Henley.

Genus his erat non ab Almaria *Monte-fortiorum* familia, ſed à Turſtano de *Baſtanberg* Normanno, hæreditas vero tandem per filias demigravit ad Barones de *Sudley*, & *Frevillos*. Ad *Arrowi* vero & *Aleni* hujus confluentes vidimus *Aulceſter*, Matthæo Pariſienſi *Allenceſter*, & rectius, quod celebratiſſimum & antiquiſſimum eſſe contendunt incolæ, unde *Ouldceſter* dictum volunt.

Aulceſter.

Hic (ut in veteri *Inquiſitione* legitur) *erat Burgus Francus Domini Henrici Primi, & idem Rex dedit illum Burgum Roberto* Corbet *pro ſervitio ſuo, & cum idem Robertus obiit, deſcendit per deſcenſum Domino VVillielmo de* Botereux, *& Domino Petro filio Herberti, & cum VVillielmus de* Botereux *obiit, deſcendit illa medietas villatæ in manum D. Reginaldi de* Botereux *per deſcenſum, ſicut hæredi qui nunc tenet, & cum Petrus* filius Herberti *obiit, deſcendit illa medietas in manum Herberti* filii Petri. *Qui Robertus dedit illam Roberto de Chaundoys.*

Liber in Scaccario.

Nunc autem è maximo oppido in exiguum rerum venalium mercatum decrevit, ſed frumentariis nundinis celebratiſſimum. Superius inter nemora quæ jam rareſcunt, ſunt *VVroxhall*, ubi monaſteriolum ſive *Prioratum* poſuit Hugo de *Hatton*, *Badeſley* olim *Clintoniorum*, nunc *Ferrariorum*, & *Balſhall* quondam Templariorum *Præceptoria*, quam illis Rogerus de *Mowbray* donavit,

Wroxhall.

Baddeſley.

Balſhall.

cujus tanta fuit in Templariorum ordinem munificentia, ut communi conſilio decreverint, quod ipſe cuicunque fratrum ſi quid in ordinis inſtituta peccaſſet, & coram ipſo crimen agnoſceret, remitteret, & condonaret.

Regiſtrum Templariorum & Ordinis S. Ioannis Hieruſalem.

Militeſque ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani, quibus Templariorum poſſeſſiones in Anglia fuerunt aſſignatæ (Deo enim ſacrata prophanare majores noſtri tunc temporis piaculum exiſtimarunt) conceſſerunt gratitudinis ergo Ioanni *Mowbray* de *Axeholme* ſucceſſori illius Rogeri, ut ipſe & ſucceſſores ſui in ſingulis ipſorum conventibus honore à Regibus ſecundo ſemper exciperentur.

Vide Stat. de Templariis.

Magis ad Ortum æſtivum, ubi rivuli coëuntes lacum inter vivaria diffundunt, qui ſtatim ripis coercitus canalem agit *Kenelworth*, olim *Konelworda* vulgo, ſed corrupte *Killingworth* apponitur, & inde denominatur caſtrum ampliſſimum, pulcherrimum, munitiſſimum, vivariis circumſeptum,

Kenelworth, vulgo Killingworth.

quod nec Kenulphus, nec Kenelmus, nec Kineglisſus conſtruxit, ut ſomniant nonnulli, ſed Galfridus *Clinton* Henrico Primo à cubiculis, & ejus filius (ut prolatis tabellis oſtendi poſſit) cum eccleſiam Canonicis *Regularibus* ibi prius fundaſſet. Verum hujus pronepos Henricus cum prole careret, Henrico Tertio Regi divendidit, qui cum Æleonora ſorore Simoni de *Monteforti* Leiceſtriæ Comiti in dotem aſſignavit. Statimque inter eos facta animorum alienatione & diſjunctione, Simone Comite in bello Baronico poſt funeſtiſſimas turbas ſublato, ſex menſium obſidionem pertulit, demumque ſe in deditione Henrico Tertio commiſit, qui hoc caſtrum in hæreditatem familiæ Lancaſtrenſis adſcripſit. Qua tempeſtate promulgatum hinc edictum quod noſtri Iuriſperiti *Dictum de Kenelworth* vocitant, quo ſancitum fuit, ut ſinguli qui contra Regem arma tuliſſent, *ſolverent quantum terræ eorum* 1266.
valuerint per quinque annos, &c. ſalutari ſeveritate ſine ſanguine contra ſeditioſos qui in publicum exitioſi nihil ſpei niſi per diſcordias tunc temporis habuerunt. Nuper vero ex Reginæ Elizabethæ munificentia ſedes erat Roberti *Dudlæi* Comitis Leiceſtrenſis, qui ad illud inſtaurandum & ornandum nihil non fecit, adeo ut ſive ædificiorum ſplendorem, ſive vivariorum amplitudinem ſpectes, inter Angliæ caſtra in tertiis conſiſtere quaſi dedignetur.

Hinc, ut ordinem quo iter ipſe habui perſequar, *Solyhill* vidi, ſed in eo præter eccleſiam nihil viſu dignum, deinde *Bremicham*, incolis infertum, & incudibus reſonans, ſunt enim plurimi fabri ferrarii. Pars ejus inferior aquis permadet, ſuperior

Bremicham.

rior